

non potest recte ambulare, nisi ab aliquo juvetur, ita neque liberum arbitrium, nisi adjuvetur a Deo. Et sicut non satis juvatur infirmus, exhortando et monendo illum ut surgat, sed oportet manum admovere, et simul cum illo operari, et illum sustinere vel sublevare; ita non satis est liberum arbitrium ad hæc opera gratiæ excitare, sed illud actu juvare, cum illo operando, aut virtutem operandi addendo, necesse est. Et hoc pertinet ad solum Deum, qui hoc nobis præstat per adjuvantem gratiam. Est autem considerandum hanc indigentiam liberi arbitrii esse diversam ab illa quæ respectu primæ causæ communis est omni virtuti creatæ, etiamsi in suo genere causæ secundæ completa sit: nam ultra indigentiam hanc habet nostrum liberum arbitrium defectum virtutis ad bene agendum, etiam in proprio ordine causæ proximæ ad hujusmodi actus virtutis efficiendos, et ideo indiget speciali gratia adjuvante, distincta a præcedente, quæ illum defectum virium adjuvando suppleat. Quod autem in libero arbitrio sit hic defectus virium partim ob lapsum peccati originalis, partim ob excellentiam supernaturalium actuum, in lib. 1 et 2 late ostensum est, ubi quæ generatim ibi diximus de necessitate gratiæ, etiam de hac adjuvante procedunt. Et de eadem recte intelliguntur verba Pauli ad Rom. 8: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram*, in quibus hanc radicem hujus necessitatis attingit, et propterea etiam dixit ad Philip. 2: *Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere*; et cap. 1: *Qui cepit in nobis opus bonum* (utique per excitantem gratiam) *perficiet*, scilicet per adjuvantem.

3. *Consectarium primum ex hac duplici necessitate.* — Ex hac ergo duplici necessitate prima distinctio adjuvantis gratiæ colligitur. Una est per modum concursus, alia per modum specialis cooperationis in ratione proximæ causæ principalis talis effectus. Et ut sine æquivocatione loquamur, priorem non auxilii vel adjuvantis gratiæ nomine, sed simpliciter nomine concursus gratiæ significabimus. Aliud vero speciale adiutorium, quod Deus etiam ut causa proxima ad actus supernaturales præbet, simpliciter nomine adjuvantis gratiæ significabimus, quia revera de hoc adiutorio præcipue loquuntur Augustinus et alii Patres, quando gratiam adjuvantem requirunt; tum quia hoc præcipue Pelagius negabat, ut in ultimo Prolegomeno diximus; tum etiam quia specialius adiutorium postulant Patres in operibus gratiæ quam in operibus

naturæ, et alium defectum virium ad opera gratiæ quam ad opera naturæ in libero arbitrio recognoscunt et docent. Igitur propria gratia adjuvans vocatur illa qua, in ratione causæ proximæ, creata voluntas ad opera pietatis indiget.

4. *Consectarium secundum.* — Secundo, colligitur ex dictis hoc gratiæ adiutorium proxime consistere in aliquo Dei influxu in ipsos actus liberos et supernaturales voluntatis, quod quidem commune est tam concursui gratiæ quam propriæ gratiæ adjuvanti. Nam concursus actu non datur a Deo, nisi quando causa secunda actu operatur; quando vero ipsa non agit, conservatur quidem a Deo, non tamen potest tum Deus cum illa agere, et consequenter neque concurrere; ergo concursus non est nisi dum causa secunda agit: consistit ergo proxime et ultimate (ut ita dicam) in actuali motione, vel actione sive prævia, sive simultanea ordine naturæ, cum actione causæ secundæ, quod postea videbimus. Nam in fine capituli præcedentis probatum est, ex Augustino et ratione, neminem juvari nisi qui agit. Ex quo recte infertur hoc auxilium gratiæ adjuvantis proxime consistere et consummari in actuali influxu, et actione Dei cum homine supernaturaliter operante. Nam eo ipso quod homo desinit operari, etiam Deus desinit adjuvare; ergo sicut operatio hominis in actuali influxu ex parte sua consistit, ita adjuvans gratia in actuali influxu ex parte Dei posita est. Deinde sicut in his actibus dum homo operatur dicitur cooperari Deo, ita cum Deus illum adjuvat, dicitur cooperari homini, ut infra videbimus, et ex Concilio Trident., dicta sess. 6, cap. 5, aperte colligitur: cooperatio autem manifeste influxum seu actionem significat, ut infra, de gratia cooperante tractando, iterum explicabimus.

5. *Gratia adjuvans consistit proxime in actuali influxu, seu actione.* — *Dubium, utrum principium supernaturale a quo procedit hæc actio dici possit gratia adjuvans.* — Dixi autem gratiam adjuvantem proxime consistere in actuali influxu, quia, præter influxum, necessarium est aliquod supernaturale principium a quo actualis ille influxus promanet. Nam ille influxus non est nisi actio quædam: omnis autem actio suum immediatum et proportionatum principium requirit; ergo cum influxus adjuvantis gratiæ supernaturalis sit, requirit principium supernaturale a quo immediate fluat. Hinc ergo patet non solum actuale influxum, sed etiam principium a quo procedit, posse gratiam adjuvantem appellari,

quia vere adjuvat intellectum aut voluntatem, nam supplet defectum virtutis ejus ad supernaturalem actum efficiendum: supplet autem simul cum potentia efficiendo actum, quæ ipsa sola efficere non potest: hoc autem est juvare, sicque lumen gloriæ juvat intellectum ad videndum Deum, et charitas ad amandum, et Deus ipse dici potest juvare causas secundas ad operandum, et in ordine gratiæ, speciali titulo, *adjutor noster* appellatur. Aliunde vero, ex supradictis, videtur colligi propriam gratiam adjuvantem in solo influxu actuali positam esse; tum quia gratia adjuvans non est nisi quando homo actu operatur, principium autem operandi in nobis permanet etiam dum non operamur; tum etiam quia gratia adjuvans in genere actualis gratiæ collocatur, et sub illo ab excitante condistinguitur. Sicut ergo excitans tantum consistit in actuali motione, ita etiam adjuvans.

6. *Resolutio.* — *Quædam dici potest gratia adjuvans per modum principii, alia per modum influxus seu actionis.* — Verumtamen non oportet de nominum significatione contendere, clariusque et magis sine ambiguitate procedemus secundam divisionem adjuvantis gratiæ subjungendo; quædam dici potest adjuvans per modum principii, alia per modum influxus, seu actionis. Et hæc quidem posterior jam satis explicata est, et in omni proprietate et rigore nomen adjuvantis gratiæ meretur, quia est magna gratia, et actu nos juvat; imo est ipsum actuale auxilium quo supernaturaliter juvamus. Unde si sermo sit de gratia actuali adjuvante, hæc sola est gratia adjuvans, et ab illa quælibet alia gratia adjuvans denominatur, seu adjuvare dicitur, ut probant omnia hæc dicta in hoc et in capite præcedenti. Nihilominus tamen etiam principium proximum adjuvantis auxilii potest in suo ordine vocari gratia adjuvans, ut probat ratio facta. Potest autem tale principium in duplici statu considerari, scilicet in actu primo vel secundo. Quando vero est in hoc posteriori statu, proprie dicitur adjuvans, sumit autem hanc denominationem ab ipso actuali adiutorio, ut dicebam: nam sicut agens hanc denominationem sumit a sua actione, et ideo non est proprie agens, nisi quando est in actu, ita illud principium est proprie adjuvans, quando est in actu secundo, ac proinde per denominationem ab ipso actuali adiutorio vocatur adjuvans. Nihilominus tamen, quia illud principium de se est gratia data ad juvandam potentiam etiam in

primo statu, quando est in actu primo potest dici gratia adjuvans, cum illa declaratione seu limitatione, *per modum principii*. Vel certe dicitur gratia adjuvans, nam hæc vox magis actum primum quam secundum significare videtur, id est, principium de se aptum ad juvandam potentiam, cum voluerit operari. Et ita breviter gratia loquemur; nam licet in præsentis libro de actuali gratia et auxilio præcipue tractemus, non potest satis influxus gratiæ adjuvantis sine suo principio explicari, et ideo de utroque dicendum erit.

CAPUT XV.

DIVISIO AUXILII MORALITER VEL PHYSICE ADJUVANTIS EXPOSITUR.

1. *Assertio.* — *Duobus modis juvari debet homo in operibus gratiæ, moraliter et physice.* — *Augustinus hoc adiutorium explicat ex parte objecti, seu finis.* — Considerandum ulterius est duobus modis posse hominem juvari in operibus gratiæ, moraliter scilicet et physice: nam hi duo modi causandi locum habent in operibus gratiæ, nam sunt opera moralia, et physice fiunt a nostris potentiis, ideoque utroque modo juvari possunt per gratiam, imo utrumque adiutorium est illis necessarium secundum catholicam doctrinam. Et imprimis de adiutorio morali probatur, primo, quia causalitas finis moralis est, quia ejus motio est metaphorica, et solum attrahit alluciendo et invitando, et ideo finis dicitur quasi primum principium in moralibus; imo aliæ causæ quæ morales reputantur, licet ad efficientes revocentur, ut sunt causa consulens, imperans, et similes, ideo dicuntur moraliter causare, quia finalem causam imitantur, et illam aliquo modo ad causandum juvant, illius pulchritudinem vel bonitatem magis ostendendo, vel aliis motivis ad illam alluciendo. At vero gratia omnibus his modis adjuvat voluntatem nostram, ut ex locutionibus Augustini et Prosperi, cum testimoniis Scripturæ, quæ illi allegant, probari facile potest. Nam ex parte objecti seu finis explicat hoc adiutorium Augustinus, tract. 26 in Joan., dicens: *Ramum viredem ostendis ovi, et trahis illum*, ut explicet hoc modo trahi voluntatem per gratiam. Unde concludit: *Veritatis revelatio ipsa est attractio, quid enim fortius desiderat anima, quam veritatem.*

2. *Idem morale illi tribuit causalitatem.* — *Docet spiritum exhortari, regere.* — *Hanc causalitatem explicat per modum suavis incli-*

nationis, spiritualis tractionis.—Idem colligitur ex eodem Augustino, libr. de Spirit. et litter., c. 34, ubi dicit non ita esse Deum causam malæ voluntatis, sicut bonæ, quia visorum suasionibus agit Deus ut velimus et ut credamus, etc.; nam ille modus inductionis moralis est, et ex parte objecti. Et ibidem addit modum agendi per suasionem et vocationem, quæ pertinent ad causalitatem moralem effectivam, et ideo dicta quæst. 2 ad Simplicianum, vocationem appellat effectricem bonæ voluntatis. Et eodem modo loquitur lib. 83 Quæstionum, in 68, ubi inter alia habet: *Quia nec velle quisque potest, nisi admonitus et vocatus, ideo et ipsum velle Deus operatur in nobis.* Et eodem modo dixit serm. 13 de Verb. Apostol., exponens illud ad Roman. 8: *Quotquot spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei*, addendo: *Non littera, sed spiritu, non lege præcipiente, minante, promittente, sed spiritu exhortante, et illuminante, adjuvante.* Et cap. 12: *Sic vos scitote agere, ut sit rector spiritus et adiutor*: regere autem, et exhortari morales modi causandi sunt; et de illis etiam explicat verba Christi: *Sine me nihil potestis facere.* Et eandem causalitatem præbet vocationi, lib. de Prædestinat. Sancto., c. 15 et 16, et c. 49, ait: *Illa vocatione, quæ sine pœnitentia est, id prorsus agitur et peragitur ut credamus.* Aliis vero locis explicat hanc causalitatem per modum suavis inclinationis vel tractionis, quia per unum affectum ad alium inclinamur, quæ moralis etiam inductio est. Atque ita serm. 2 de Verb. Apostol., cap. 2, dicit suavitatem quam gratia infundit, esse spirituales tractionem; et lib. 2 de Peccator. merit., cap. 19, dixit hanc gratiam esse victricem delectationem.

3. *Alibi tradit trahi voluntatem miris et occultis modis.* — Aliis vero locis generaliter dicit gratiam nos juvare miris et occultis modis; sic lib. 1 contra duas Epistol. Pelagian., c. 19: *Trahitur, inquit, voluntas miris modis, ut velit, ab illo qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari*; et lib. 5 Confess., cap. 7 et 8, de seipso suaque vocatione loquens dicit: *Egisti mecum miris et occultis modis, tu illud egisti, Deus meus; nam a Domino gressus hominis dirigentur, et viam ejus volet.* Hos autem modos in particulari declarat lib. de Don. persever., cap. 14: *Quia ostenduntur mentibus congrua signa aut verba*; et lib. de Corrept. et grat., cap. 13, utilem ait esse correptionem, quam intus adjuvat Deus; et ibidem addit hoc facere Deum diversis et innumerabilibus modis; et lib. 2 de Peccator. merit., cap. 17,

omnes hos modos reducit ad illa duo capita, quia per gratiam fit ut non lateat quod justum est, vel ut suave fiat quod non delectabat. Utrumque autem pertinet ad causalitatem moralem, quia per cogitationem allicitur voluntas, et per suavitatem fit amabilior operatio. Et inde etiam fit ut talis judicetur, quia sicut unusquisque affectus est, ita de rebus judicat, juxta axioma Aristotelis: *Qualis unusquisque est, talis finis sibi videtur.* Et simili modo explicat hoc adiutorium gratiæ Prosper, libro secundo de Vocat. gent., capite nono, alias 26, ubi dicit hanc gratiam non esse violentam, quia movet suadendo, exhortando, terrendo, incitando, dando intellectum, inspirando consilium, cor illuminando, et fidei affectionibus imbuendo; quæ omnia verba moralem inductionem et causalitatem manifeste significant. Et similibus vocibus utitur, licet brevius, Cyrillus, libro quarto in Joan., capite sexto et septimo.

4. *Prima pars assertionis ratione probatur quam Patres indicant.* — Ratio autem hujus causalitatis ab eisdem Patribus indicatur, quia homo in actionibus suis non ducitur, neque movetur, ut quid inanime, vel ut brutum, sed ut libere se moveat et agat, et ideo adiutorio morali indiget proportionato libero consensui, ad quem inducitur. Quam rationem indicavit Concilium Trident., sess. 6, c. 5, adjuncto can. 4. Et declarari amplius potest, quia homo indiget gratia adjuvante propter infirmitatem et ignorantiam ex peccato originali contractam, ex qua difficultas bene operandi oritur, quæ difficultas non solum in bonis operibus naturalibus invenitur, sed etiam in opera supernaturalis ordinis redundat, quibus accrescit alia improportione quam habet natura, in suo præcise ordine spectata, respectu talium operum supernaturalis ordinis. Hæc tamen difficultas magna ex parte moralis est, et per moralia media vel minui, vel vinci et superari debet, ut libero et naturali modo vinci possit, sicut libro primo et secundo satis explicatum est. Ergo auxilium moraliter adjuvans maxime necessarium est.

5. *Secunda pars assertionis de necessitate gratiæ physice adjuvantis.* — At vero gratia physice adjuvans ex alio capite necessaria est, et ideo aliter ad opera supernaturalis ordinis, aliter vero ad naturalia requiritur. Est vero causa physice adjuvans, illa quæ realiter et per se efficit aliquid, per propriam et realem actionem influendo in terminum productum: cum autem operatio humana sit

effectus realis, et in suo esse sit quædam qualitas physica, id est, habens suam propriam entitatem et naturam, per actionem physicam necessario fieri debet: hæc autem actio requirit principium habens totam virtutem necessariam ad agendum, ut per se notum est. Constat autem ex dictis in libro secundo, in nostris potentiis naturalibus intellectus et voluntatis non esse virtutem naturalem integram et sufficientem ad efficiendos actus studiosos supernaturalis ordinis, qui sunt in sua entitate supernaturales; ergo saltem ad hos actus omnino necessaria est gratia physice adjuvans. Unde licet de hac gratia non tam clare Augustinus et alii Patres loquantur, nihilominus quoad hanc partem tam certa est, quam est certum Deum dare nobis virtutes per se infusas, quibus hos actus etiam per se et physice efficere valeamus. Nam ex dicto principio sequitur necessariam esse gratiam specialem physice adjuvantem potentiam quæ est principium proximum talium actuum, quia ex natura sua caret virtute saltem completa ad illos efficiendos, ideoque illi adduntur virtutes per se infusæ, quæ defectum illum suppleant, et ubi illæ defuerint, necessarium erit ut earum activitas supernaturalis aliunde suppleatur. Et declaratur hoc amplius, nam sicut illi actus in entitate sua supernaturales sunt, ita dicunt essentialem dependentiam ab aliquo principio proximo supernaturali, a quo per influxum etiam supernaturalem immediate ac per se procedant; ergo ad illos esse necessaria gratia physice adjuvans, quæ sit etiam ordinis supernaturalis.

6. *Probatur eadem necessitas ex Scriptura et Conciliis.* — Præter hæc potest hoc genus gratiæ colligi ex aliis modis loquendi Scripturæ et Conciliorum, ac Patrum. Quomodo enim Concilium Tridentinum dicit liberum arbitrium a Deo excitatum et motum, quando supernaturalem præbet concursus, vere aliquid agere, non tantum docet agere moraliter, sed etiam physice et per se, quia in ipso actu elicito a libero arbitrio non potest efficientia moralis a physica separari, imo illam necessario supponit, et addit indifferentiam: sed in hac ipsa actione docet liberum arbitrium cooperari cum Deo, et consequenter Deum cooperari, seu coagere cum libero arbitrio; ergo intelligit Deum etiam ibi physice agere cum voluntate, vel per se, vel per aliquam gratiam, quam infundit. Unde optime et cum omni proprietate de hoc etiam genere gratiæ intelligimus locutiones Scripturæ, quæ ne-

cessitatem cooperationis Dei ad nostra opera inducunt, ut illud Joan. 15: *Sine me nihil potestis facere.* Unde dixit Augustinus, secundo libro contra duas Epistol. Pelagian., capite nono: *Quamvis nisi adjuvante illo, sine quo nihil possumus facere, os non possumus aperire, tamen nos aperimus illius adjumento et opere nostro.* Unde paulo inferius ponderans illud Exod. 4: *Ego aperiam os tuum, et instruaute, inquit: Utrumque ad Dominum; quare hoc? nisi quia in uno istorum cooperatur homini facienti, alterum solum facit.* Unde infert illam generalem sententiam in Concilio Arausicano, canone vigesimo, confirmatam: *Multa facit Deus in homine bona, quæ non facit homo; nulla vero facit homo quæ non facit Deus ut faciat homo.* Similiter hoc confirmat illud ad 1 Corinth. 3: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Et illud ad Philip. 1: *Qui cepit in vobis bonum opus, perficiet*: nam hæc et similia verba proprie sumpta significant propriam efficaciam Dei inchoantis, facientis, et augentis bona opera nostra. Item significant impotentiam nostram ad faciendum hæc opera sine Deo; ergo sicut ex parte nostra efficientia propria est, et physica, ita etiam multo magis ac principaliter ex parte Dei. Et hoc etiam in proprietate significat verbum *cooperandi* et *cooperatoris*, quod et nobis tribuitur respectu Dei, et Deo respectu nostri, ut infra videbimus tractando de gratia operante et cooperante; ergo ex utraque parte est vera cooperatio, et effectio per se ac physica. Imo per antonomasiam fides dicitur specialiter opus Dei, quia ipse principaliter in omni genere illud operatur, ut ibi Augustinus notat, et ob eandem rationem dicuntur hi actus infusi a Deo, nam quod Paulus ait ad Roman. 5: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*, non minus de actu quam de habitu verum est, ut sæpe in superioribus est dictum, et sentit Augustinus de Spirit. et litter., cap. 32; infusio autem propriam et physicam effectioem apertissime significat. Denique confirmat hoc Augustinus dicto capite nono contra duas Epistol. Pelagian., ex illo 1 Joan. 4: *Charitas ex Deo est*, utique ut a præcipuo auctore, et causa per se ac principali ejus; et subjungit Augustinus: *Neque initium ejus ex nobis, et perfectio ejus ex Deo, sed si charitas ex Deo, tota nobis ex Deo est.* Ita enim nos concludere possumus, si habitus charitatis ex Deo, etiam actus charitatis ex Deo est vere et physice, eademque ratio est

de cæteris actibus supernaturalibus : sunt autem ex Deo media gratia adjuvante; est ergo necessaria ad hos actus gratia physice adjuvans.

7. *Gratia supernaturalis ordinis physice adjuvans non est necessaria ad actus virtutum acquisitarum.* — Hæc autem quæ de gratia physice adjuvante ad actus supernaturales diximus, non eodem modo locum habent in actibus virtutum acquisitarum. Nam cum illi sint in substantia naturales, et per actionem ordinis naturalis fiant, nihil in physico principio, seu in speciali influxu proximo superans ordinem naturæ ex parte Dei requirunt. Et ratio est, quia isti actus sunt proportionati viribus naturalibus voluntatis et intellectus. Unde in his potentiis sunt integræ vires per se requisitæ ex parte principii proximi principalis talium actuum; ergo ad illos non est necessaria, per se loquendo, gratia physice adjuvans potentiam per modum principii proximi. Unde in hoc est notanda differentia inter gratiam moraliter vel physice adjuvantem; nam prior ad hos actus necessaria est, non vero posterior. Est autem ratio differentiæ, quia gratia adjuvans non est necessaria ad hos actus per se, et ex natura potentiæ, sed per accidens, ex lapsu humanæ naturæ, et ex impedimentis ad bene operandum inde subortis, contra quæ gratia moraliter adjuvans necessaria est, ut paulo ante explicuimus. Augmentum autem virtutis per se activæ ipsius potentiæ non est necessarium, quia vires potentiæ non sunt per peccatum diminutæ, ut supra libro 4 late probatum est. Et hoc optime declarat innocentia status, in quo nec physice gratia adjuvans erat necessaria ad hos actus, quia potentia in se erat eadem, quæ nunc est, nec moraliter adjuvans, quia tunc non erant impedimenta lapsæ naturæ.

8. *Possibile est auxilium gratiæ physice adjuvantis naturalis ordinis, licet non sit necessarium.* — Dixi autem ad hos actus non requiri gratiam physice adjuvantem supernaturalis ordinis, quia eodem modo quo isti actus possunt fieri et sæpe fiunt, ex aliquo auxilio gratiæ naturalis ordinis, ita etiam auxilium adjuvans, quod ad illos datur, vel dari potest, gratuitum et absque naturali debito collatum reputari potest, et ita appellari gratia ejusdem ordinis. Hoc patet a simili de concursu ipso generali: nam licet hic debeatur potentiæ ad actus sibi conaturalis suppositis aliis prærequisitis ad agendum; tamen quando Deus, speciali modo et auxilio non debito voluntati, verbi gratia,

præparat illam cum omnibus prærequisitis, ut convenienter operetur, tunc ille concursus non est debitus naturæ. Et tamen, ut probabilior fert opinio, habitus acquisitus physice adjuvat potentiam, et auget virtutem agendi, non per intensionem, sed per multiplicationem virtutis: erit ergo illa gratia physice adjuvans. Idemque potest facere Deus per motionem aliquam, vel influxum physicum majorem, quam tali actui vel potentiæ ex natura rei debeatur. Hoc autem genus auxilii, licet possibile sit, non est necessarium, ut dixi, imo rarum et extraordinarium esse censeo. Occurrebat autem hic opinio quæ ad hos etiam actus requirit gratiam efficacem physice prædeterminantem, quæ si datur, sine dubio physice adjuvat. Illa vero opinio coincidit cum alia Gregorii, quam supra libro 4 impugnavimus, et generatim de omnibus actibus tractanda est in libro 5, et in discursu hujus aliquid attingemus, dicendo de divino concursu, et ideo necesse non est in præsentem circa illam amplius immorari.

9. *Applicari potest eadem divisio gratiæ physice et moraliter adjuvantis ad gratiam adjutricem, et auxilium gratiæ.* — Ex dictis igitur satis declarata manet divisio posita de gratia physice, vel moraliter adjuvante, quæ ad principium adjuvans, et ad ipsum actuale auxilium applicari potest. Proprius tamen videtur utrumque membrum in physice adjuvante inveniri: nam habitus per se infusus, ut diximus, physice adjuvat potentiam ad actum supernaturalem eliciendum, et quando deest habitus, aliquod aliud principium necessarium est, quod physicam ejus activitatem suppleat. Actualis vero influxus in supernaturalem actum, prout a tali principio procedit per se ac physice, et realis est, ac proinde est etiam actualis gratia physice adjuvans: hoc ergo genus adjutorii tam habituali gratiæ quam actuali auxilio cooperanti proprie convenit. At vero adjutorium morale neque habitui, neque actuali influxui videtur convenire: imo, si quis recte consideret quod ad probandum hoc adjutorium morale adduximus, magis videtur ad excitantem gratiam quam ad adjuvantem pertinere: nam ipsemet motus gratiæ excitantis, quatenus formaliter afficit potentiam, moraliter confortat illam, et nullum alium influxum quasi effectivum habere videtur, quæ objectio petit ut amplius explicemus discrimen inter gratiam excitantem et actu adjuvantem, quod in sequentibus capitibus commodius faciemus.

CAPUT XVI.

QUIBUS MODIS DIFFERAT ACTUALIS INFLUXUS GRATIÆ ADJUVANTIS, AB EXCITANTE GRATIA.

1. *Opinio negans gratiam adjuvantem realiter ab excitante distingui.* — Nonnulli auctores absolute docent gratiam excitantem non re, sed ratione distingui ab adjuvante: nam eadem prout formaliter afficit potentiam illuminando vel actu inclinando illam, dicitur excitans; prout vero obtinet a voluntate consensum, dicitur adjuvans. Unde quatenus excitans est, separari potest a consensu, et esse prior tempore illo; quatenus vero habet subsequentem consensum, et est aliquo modo actualis causa illius, simul denominatur adjuvans, quæ videtur tantum distinctio rationis, vel cujusdam habitudinis. Et hoc suadetur testimonio Concilii Tridentini supra tractato, quia videtur de his gratiis tanquam de una loqui. Et similiter Augustinus, ut infra videbimus, de gratia operante et cooperante, tanquam de una loqui solet: illæ autem cum excitante et adjuvante coincidunt, ut ibidem dicemus.

2. *Assertio.* — *Gratia adjuvans addit aliquid realiter distinctum ultra excitantem.* — Nihilominus jam in capite 13 ostensum est negari non posse quin adjuvans gratia distinguatur ab excitante, addens ultra illam novum auxilium et beneficium gratiæ. Nunc vero ulterius dicimus, id quod addit actualis gratia adjuvans ultra excitantem, esse aliquid realiter distinctum ab illa. Probatur, quia gratia adjuvans addit realem influxum in consensum deliberatum voluntatis, vel assensum supernaturalem intellectus: hic autem influxus realiter distinguitur ab actu gratiæ excitantis; ergo actualis gratia adjuvans addit rem distinctam ab excitante. Major satis declarata est in capite præcedenti. Minor autem per se clara est, quia motus gratiæ excitantis, et actus deliberatus voluntatis vel intellectus, realiter inter se distinguuntur, ut per se notum est: sed hic influxus gratiæ adjuvantis est idem realiter cum actu deliberato, quia nihil est aliud quam actio ejus, prout ab aliquo supernaturali principio procedit; ergo distinguitur realiter a motu gratiæ excitantis. Quæ ratio adeo clara est, ut in hoc puncto nulla videatur esse dissensio inter Theologos, quæ ad rem pertineat. Ut autem etiam in modo loquendi auferatur, advertenda est distinctio

quam supra posui de gratia adjutrice et in actu secundo, nam hæc duo membra licet propriissime reperiantur in adjutorio physico, etiam in morali possunt convenienter distingui. Gratia ergo excitans, per se spectata, est moraliter adjutrix, et hoc probant omnia adducta capite præcedenti, in priori membro tertiæ divisionis. Et hoc modo verum est denominationem hanc adjutricis gratiæ nihil addere gratiæ excitanti, sed esse eandem sub alio respectu conceptam. Nam sicut in physicis eadem forma, verbi gratia, calor, est dispositio quatenus formaliter afficit subjectum, et est quasi potentia activa quatenus est principium proximum calefaciendi; ita, servata proportione, motus gratiæ est excitans, prout est actus quidam formaliter efficiens mentem; quatenus vero de se potest juvare ad consensum, habet rationem principii efficientis, saltem moraliter, et ut sic vocatur adjutrix gratia.

3. *Quando non obtinet consensum, dicitur gratia adjutrix.* — *Quando obtinet consensum proprie denominari potest gratia moraliter adjuvans.* — Neque obstat quod gratia excitans in sua entitate sit actus secundus, nam hoc habet quatenus est forma intellectum vel voluntatem formaliter efficiens, nihilominus tamen respectu alterius actus potest cooperari, ut principium efficiens in actu primo, quando illum actu non efficit. Sic ergo gratia excitans est adjutrix, et ita in re sunt idem, ut dixi. Adjuvans autem non denominatur in suo genere, seu in suo modo adjuvandi, nisi quando voluntas actu consentit: quia, ut c. 13 ostensum est, gratia non est adjuvans, nisi aliquid efficiat is qui juvatur: cum autem adjutorium hoc sit morale, ut diximus, necesse est ut homo moraliter consentiat, quando per gratiam excitantem actu juvatur. Tum autem vere et proprie denominari potest gratia adjuvans moraliter, quia sicut prius, tempore vel natura, quam voluntas consentiat, hæc gratia excitat hominem ad talem actum, ita etiam in ipso actuali consensu moraliter juvat ad præstandum illum, vel ad perseverandum in illo, ad eum modum quo unus homo exhortando juvat alium, prout loquitur Paulus 2 ad Corinth. 6: *Adjuvantes exhortamur*, etc. Talis autem denominatio adjuvantis respectu gratiæ excitantis, est quasi extrinseca proveniens ab illa actione, qua fit consensus, seu deliberatus actus voluntatis, vel intellectus; nam sicut agens sic denominatur ab actione, ita etiam hæc gratia denominatur actu adjuvans ab actione